

Eminentissimi ac Reverendissimi; nec non *Eminentia Reverendissima*. Insuper jubentur omnes Cardinales à propriis sigillis & signis quibuscumque vulgò *armis* nuncupatis, amovere coronas, signa, ac omnes notas sæculares, præter eas, quibus intra seculum armorum, eorum familiæ, tamquam de essentia, & integritate eorundem armorum utuntur, & ut in posterum ab illorum usu abstineant, solo pileo, de pretioso Christi sanguine rubente insigniti, ac decorati; ac ulterius sanctissimus Dominus nosse inhibuit sub excommunicationis late sententiæ, ac aliis arbitrii sui pœnis, sculptoribus, pictoribus, ac aliis quibuscumque, ne prædictis notas sæculares in sigillis, & armis, aliisque insignibus S. R. Ecclesiæ Cardinalium sculptet, ac pingere, aut sculpi vel pingi mandare audeant.

XXVII. Hæc non obscure innunt, Cardinalitiam dignitatem tunc tantum fastigii reputatam, ut reliquæ dignitates seu sæculares, seu Ecclesiasticæ illius splendore tamquam ad majus lumen, officari viderentur. Neque aliam de Cardinalitiam excellentiam ideam tempore Eugenii IV. habitam fuisse, manifestum est ex literis ejus ad Henricum Archiepiscopum Cantuariensem relatis in Bullario Romano tombo 1. pag. 371. in quibus asserit, tantæ esse dignitatis Cardinalitiam, ut quasi absorbeat aliam quæcumque dignitatem, hoc utens argumento: „Cardinales licet certarum Ecclesiarum dum ad Cardinalitiam assumuntur Episcopi sint, nihilominus eos non Episcopos, sed Presbyteros S. R. Ecclesiæ Cardinales, Sedes Apostolica appellat; quinimo si eis suas priores Ecclesias in titulum dimittat, non amplius sub nomine Ecclesiarum, sed tituli Cardinalatus scribit, quasi ad majorem dignitatem & jurisdictionem assumpserit; alioquin non ascendisse, sed descendisse, non honorari, sed de honorari, viderentur.

XXVIII. Imò in tantum videbatur aliquibus supra Episcopalem dignitatem Cardinalitiam dignitas eninere, ut nonnulli Episcoporum ministerio ad vilia quæque munia uti non vererentur; quemadmodum refert & reprobat Leo X. in Bulla reformationis curiæ editâ in Concilio Lateranensi Sess. 9. Itaque: „Eos, quos vel nunc habent, vel impoterunt sunt habituri, honores, ut fratres, ac juxta eorum statum condecens tractent.

XXIX. In hanc quoque Episcopalis auctoritatis dejectionem; & vilipendium vehementius in ipso Concilio Tridentino invecus scribitur nominatissimus ille Braccarensis Archiepiscopus Bartholomæus *De Martyribus*, qui dum durante Concilio unâ cum Cardinale Lotharingæ Romam invisset, atque ibidem intelligeret, invaluissè consuetudinem, ut in congregatione aut conventu coram Pontifice, Cardinales sederent *reclis* capitibus; Episcopi vero & Archiepiscopi essent *erecti detectis* capitibus, tanta vehementia, totque argumentis indignitatem illius consuetudinis Pontifici exposuit, ut præter omnium expectationem, Pontifex resolveret, hunc morem tamquam abusum, Episcopali characteri nimium derogantem abrogare; uti & reipâ abrogavit, mandans in congregatione eodem die habitâ, ut Episcopi æque ac ipsi Cardinales sederent *reclis* capitibus. Historiam ac totum ejus coram Pontifice discursum refert scriptor Gallicus ipsius vitæ lib. 2. cap. 22.

XXX. Si officium Cardinalium expendamus, atque hodiernum cum pristino conferamus, etiam hic mutationem non modicam intervenissè videbimus.

Cum enim pristini Romanæ Ecclesiæ Cardinales, essent Presbyteri ac Diaconi, suis respectivè Ecclesiis & titulis tamquam *Ordinariis* atque *fixi* ministri adscripti, etiam præcipuum officium eorum erat, illarum Ecclesiarum vel titulorum curam gerere; muniaque Presbyteri seu Parochi, aut Diaconi obire, usque se totos impendere; quamvis & ipsi tunc etiam Presbyterium constituerent, cujus consilio & operâ Romanus Episcopus uteretur, uti supra notavimus.

XXXI. At si disciplinam à sex circiter sæculis stabilitam expendamus, videbimus, præcipuum Cardinalium R. E. officium esse, Romano Pontifici in negotiis gerendis consilio & operâ assistere, atque ex hoc capite Cardinalium eminentiam atque dignitatem præcipuè, ne dicam unicè, fuisse desumptam & consideratam.

Et quidem Leo IX. scribens ad Michaëlem Patriarcham Constantinopolitanum, cum dixisset, quod sicut cardine totum regitur orbem, ita in Petro & ejus Successoribus totius Ecclesiæ disponitur emolumentum, mox ut consequens infert: „Unde & Clerici ejus *Cardinales* dicuntur. *Cardini* utique illi, quo cætera moventur; *viciniis* adherentes.

Itaque jam non ab intitutione aut incarnatione aliqujus Ecclesiæ *Cardinales* vocantur; sed à majori adhaerentiâ Pontifici Romano. Hinc & sub idem tempus *laterales* Pontificis dici cœperunt.

XXXII. Hæc de causa ad Cardinales R. E. sæculo 12. scribens S. Bernardus ait: „Nulli dubium quin ad vos spectat, claliter spectet de Regno Dei surgentes succidere spinas, sedare querelas.... Agite pro loco quem tenetis, pro dignitate quâ polletis, pro potestate quam accepistis.” *Epist. 89.*

Hic Bernardum reputare & agnoscere Cardinales tamquam superintendentes Regno Dei, id est, Ecclesiæ, atque una cum Pontifice illius curam agentes, manifestum est. Unde ad Eugenium III. dicit: „Venimus ad *collaterales* & *Co-*adjutores tuos. Hi seduli tibi, hi intimi sunt.... An non eligendi de toto orbe, orbem *judicaturi*?”

XXXIII. Quin & inspiciantur citatæ literæ Eugenii IV. aliorumque Bullæ; quibus dignitas Cardinalium adstruitur, videbitur, argumenta quibus adstruitur, in hoc unum refundi, quod ipsorum consilio & operâ negotia non tantum Ecclesiæ Romanæ, sed universales expendantur; ipsique præcipuas in hisce partes habeant; atque ideo tot quoque eximias dotes in Cardinalibus, tametsi dumtaxat *Diaconis*, postiora consilia & Pontifices desideraverint; quemadmodum in concilio Basiliensi Sess. 23. & Tridentino Sess. 24. cap. 1. *De Reformat.* Ubi, „ea omnia & singula, quæ de Episcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina & cæteris qualitatibus aliâs in eadem Synodo constituta sunt, eadem etiam in creatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ *Cardinalium*, etiam *Diaconi* sint, exigenda, quos Sanctissimus Romanus Pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commodè fieri poterit, prout idoneos repererit, assumet.

XXXIV. Porro hoc Cardinalium munus in dirigendis negotiis maximè hodie elucet ex congregationibus Cardinalitatis, quæ quidem antiquitus ignotæ, sed hodie admodum frequentes sunt.

Hæc congregationes sunt quidam cætus sive collegia quodammodo Cardinalium per Pontifices instituta ad certa aliqua negotia dirigenda discutienda, quin & terminanda, atque de illis etiam judicium ferendum speciem aliquam tribunalis referentia; ideoque & suos Officiales & inferiores Ministros singulæ habere solent.

XXXV. Harum congregationum quædam sunt jam pridem à Pontificibus cretæ, atque stabilem statum habentes; dicunturque *Ordinarie*: aliz verò *Extraordinarie*, quæ scilicet extra ordinem per Pontificem particulariter pro aliquibus negotiis ordinari solent; cessantque negotiis illis absolutis.

Inter congregationes autem ordinarias & stables, quædam sunt quæ expleant ea omnia, quæ Pontificem non ut caput Ecclesiæ universalis, aut regimen Ecclesiæ universalis spectant; sed quæ Pontifici tamquam Episcopo particulari Urbis ejusque districtus incumbunt: qualis v.g. est congregatio *Visitationis Apostolicæ*, uti ostendit Cardinalis De Luca in relatione Romanæ curiæ *Discursu 24.*

Aliæ sunt, quæ concernunt regimen temporale Status Ecclesiastici; quales sunt congregatio *super consultatione negotiorum Status Ecclesiastici*, quæ vulgò *Consulta* dicitur:

citur: item congregatio *boni regiminis*, aliæque, de quibus Cardinalis de Luca in citata relatione *Discursu 25. 26. & 27.*

Aliæ denique Congregationes, illæque præcipuæ sunt, quæ versantur circa regimen universalis Ecclesiæ; sive quæ dirigunt atque expediunt ea negotia, quæ ad Pontificem & curiam Romanam ex omnibus provinciis undique deferuntur.

XXXVI. Cumque hic in Belgio videamus multa Decreta ac Resolutiones sub nomine harum Congregationum, & signanter Congregationum *Inquisitionis* sive *S. Officii*, *Judicis*, *Interpretum Concilii Tridentini*, *Sacrorum Rituum*, & *super negotiis Episcoporum & Regularium circumferri*, atque interdum etiam publicari, non inutile judicavi, si harum Congregationum notitia haberetur: cumque omnes Episcoporum, & nonnullæ quoque Abbatiarum Belgicarum provisiones *Consistorialiter* expendantur, etiam aliquid de *Consistorio* Papæ dicere non importunum credidi.

CAPUT II.

De Consistorio Cardinalium.

- 1 Quid generaliter Consistorium?
- 2 Unde Congressus Cardinalium dicatur Consistorium?
- 3 Duplex est Cardinalium Consistorium.
- 4 Tempore Innocentii III. tertio per hebdomadam habebatur.
- 5 Hodie variis ad beneplacitum Pontificis habetur.
- 6 Quo ritu ad Consistorium conveniant Cardinales.
- 7 Quomodo in Consistorio procedatur.
- 8 Quomodo in Consistorio minores causas etiam judicialiter examinabuntur.
- 9 Hodie nulla negotia in Consistorio judicialiter & contentiosè tractantur.
- 10 Inter negotia Consistorialia creatio Cardinalium est primaria.
- 11 Provisio Ecclesiarum Metropolitanarum & Cathedralium Consistorialiter fit.
- 12 Etiam aliquibus Abbatibus Consistorialiter providetur.
- 13 Aliæ negotia Consistorialia enumerantur.
- 14 Congregatio vulgò Consistorialis instituta est tamquam Consistorii consultiæ.



Consistorium generaliter accipiendo, est quivis locus ubi *consistitur*. Ita jam pridem Tertullianus de Resurrectione mortuorum cap. 20. terram in qua homines consistimus, *consistorium* dixit. Interdum verò in strictiori appellatione *Consistorium* Veteres dixerunt, locum in quo Princeps de rebus publicis consultat ac deliberat cum suis Consistorianis, uti multis probat Gothofredus in Notis ad l. 3. *Cod. De officio omnium judicum lib. 1. tit. 10.*

II. Hinc postmodum invaluit, ut Cardinalium confessus coram Pontifice in ejus palatio per modum Senatûs, dictus sit *Consistorium*; atque in ea appellatione hodie sumitur, dum de *Consistorio* Papæ, atque de Beneficiis ac negotiis *Consistorialibus* sermo incidit.

III. Duplex autem hodie est *Consistorium*. Aliud scilicet *extraordinarium*, magisque solemne; cui præter Cardinales intersunt alii quoque Prælati, Ministri ac Principum Oratores, & Magistratus, qui Papæ præfidenti assistant; quod & *publicum* dicitur.

Aliæ species *Consistorii* est, quod *ordinarium* vocatur, sitque in forma minus solemni cum solo interventu Cardinalium pro negotiis pertractandis; soletque *secretum* dici.

IV. Tertio in hebdomada Consistorium solemne haberi tempore Innocentii III. solitum fuisse probant ejusdem Pon-

tificis acta, quæ pag. 28. ex editione Bosqueti hæc habent: „Ter in hebdomada *solemne Consistorium*, quod in *consuetudinem* jam devenerat, publice celebrat, in quo auditis quæramonibus singulorum, minores causas examinabat, per se tam subtiliter & prudenter, ut omnes super ipsius subtilitate & prudentiâ mirarentur.

V. Hodie verò illud rarius habetur ad Papæ beneplacitum, prout negotiorum urgentia (inquit Cardinalis De Luca in relatione *Curia Romana Discursu 5. n. 6.*) exigit. Pro frequentiore tamen praxi, bis in mense, atque ordinaria dies est feriæ secundæ de mane; quamvis aliquando alia etiam die habeatur; quia hoc à Pontificis dependet arbitrio.

VI. Resolutâ ergo à Pontifice Consistorii in certam diem, horam & locum indicatione, & Cardinalibus in curia præsentibus die præcedente insinuatâ, „singuli Cardinales cum solempni comitatu & obsequio ad illud accedunt, *more Religio*; adeo ut in hac functione (uti notat De Luca) magis quam in aliis, Romanæ curiæ majestas videatur elucere; atque ita verificari id quod antiqui Scriptores de prophetâ triumphantis Romanæ Reipublicæ Senatoribus dice- re solent, ut scilicet *tot Reges* reputari mereantur.

VII. Congregatis Cardinalibus, Papâ in Sede aliquantulum elevata sedente, atque adhuc januis apertis, patenteque omnibus Nobilibus, qualificatis Viris ac Prælati aditu, singulis Cardinalibus petentibus præstatur à Papa privata auralis audientia super propriis, vel Principum, aut amicorum, vel familiarium precibus aliisque negotiis.

Hæc privata audientia, pro Papæ beneplacito, ab soluta omnes à loco Consistorii ejiciuntur, *solis* Cardinalibus cum Papa remanentibus; atque tunc negotia *Consistorialia* tractari incipiunt.

VIII. Tempore Innocentii III. causas minores in Consistorio, auditus utrimque partibus, per Pontificem decidas fuisse, acta hujus Pontificis supra relata evincunt; notaque De Luca, non ita pridem, „*Consistorium* haberi solitum fuisse, pro brevioribus causis in forma *contentiosa*, etiam cum interventu Procuratorum & Advocatorum utraque partis decidendis per Pontificem cum voto Cardinalium: atque ex hujusmodi decisionibus aliqua pars Canonum registratorum in quinque libris Decretalium est desumpta.

IX. Negotia verò, quæ hodie in Consistorio explicantur, teste De Luca, forenses, & contentiosam formam amplius non habent. Sed solum *gratiosam*, vel *politiam*, ut Principis supremum senatum decet.

X. Inter negotia *Consistorialia* hodierna, primaria est novorum Cardinalium creatio; atque juxta stylium consuetum (ait De Luca loco citato n. 9.) „Papa, vel in Consistorii initio, aut frequentius in fine, dicit Cardinalibus, quod habent Fratres, atque nominando illos quos in collegium cooptare vult, eos interrogat, quid ipsis videatur, eisque approbantibus vel laudantibus fit decretum promotionis, quæ illicò publicatur extra Consistorium per curiam; quandoque tamen non exprimendo numerum eorum, qui promoveantur, aliquorum nomina publicare non solet, sed ea, ut dicitur, *reservat in pectore*. Et quamvis illa quantumque etiam extra actum Consistorii aperire valeat, quinimo ex integro Cardinalium promotionem ita facere, cum omnia pendèant à jure, & à formalitate positivâ, dum, ut præcedenti discursu advertitur, Cardinalium interventus & consensus est voluntarius, & consultius; attamen observantia huic usque dedit, quod tam promotio quam publicatio jam promotorum, non nisi in Consistorio fieri consuevit.

XI. Altera Consistorialis functio est, provisio Ecclesiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, & cathedralium vacantium. Hæc provisio quâ formâ expeditur in duplici Consistorio describit De Luca loco citato, & à nobis supra *titulo 14. cap. 4.* expositum est; hoc tamen monet De Luca, optimum quidem nimumque commendabile esse institutum, quod scilicet dictæ provisiones non fiant nisi in Consistorio, & quidem iteratò ex voto

voto Cardinalium: sed desiderandam videri aliquam meliorem ejus praxim: quoniam, ait, ut quae loque fert facta, sive vera, sive falsa, citra papae rectam intentionem feruntur, quoniam ejusmodi electiones in personis parum dignis, quarum mali mores, vel alii defectus innotescant. Et tamen ex quodam usu, vel ex alia causa, nemo loquitur, adeo ut istud optimum, nimiumque proficuum institutum quantum do praeficitur, ad formalitatem redactum videatur.

Quod verò Cardinales in Consistorio teneantur detegere crimina & defectus promovendorum, ostendit Cardinalis Palaeotus De sacri Consistorii consultationibus parte 4. quest. 2.

XII. Consistorialiter quoque providetur nonnullis Monasteriis Regularibus; quae propterea communiter consistorialia nuncupantur.

Pontifices enim (ut refert Perardus Gattel in tractatu de usu & praxi Curiae Romanae pag. 35. edit. 1693.) jam pridem convenerunt cum Cardinalibus, provisiones de certis Monasteriis non daturis, nisi de eorum consilio & consistorialiter, prout in litteris provisionis exprimitur: „De personis tua nobis & fratribus nostris accepta Ecclesiae N. de fratrum eorumdem consilio Apostolica auctoritate providemus.

Quae portio Monasteria sunt consistorialia, praesertim in Belgio & Provinciis vicinis, videbitur infra, ubi de Abbatibus eorumque electione & confirmatione agetur. Illud quoque advertendum, quod Monasteria, quae ex se sunt consistorialia, interdum expediuntur extra Consistorium & non Consistorialiter; sed per *Datariam*, cujus rationem sub titulo De *Dataria* videbimus.

XIII. Coadjutoria cum futura successione, tam Cathedralium, & Metropolitanarum Ecclesiarum, quam Monasteriorum consistorialium, similiter consistorialiter expediuntur.

Dimissio quoque sive libera, sive per translationem aliquis Ecclesiae, vel Monasterii consistorialis pariter in Consistorio admittenda est: prout etiam novae erectiones Cathedralium aut Metropolitanarum cum dismembratione territorii, novae Ecclesiae assignandi; sive earundem Ecclesiarum uniones vel divisiones in Consistorio fiunt, dicunturque causae consistoriales.

XIV. Quia verò in plerisque illis actibus consistorialibus solent fieri oppositiones; debeatque consequenter auditis hinc inde partibus examen institui, quod speciem disputationis, aut discussionis contentiose habet; quae, ob majorem Consistorii majestatem, uti loquitur De Luca, ab eo exulavit, ideo erecta fuit particularis Congregatio, dictorum negotiorum Consistorialium praeparatrix, seu Consistorii consultrix, quae proinde consistorialis nuncupatur; constituta ex aliquo competenti numero Cardinalium, ac etiam peritorum Praelatorum cum proprio Secretario, qui juxta hodiernam observantiam non est Praelatus, sed peritus togatus; atque in ista Congregatione prius formiter examinantur materiae, partibus opponentibus auditis in forma merè contentiosa, proportionata tamen stylo Congregationum Cardinalium circa formalitatem telae judicariae. Haec de Luca.

Verbo, haec Congregatio consistorialis est ipsius Consistorii pars & quasi Assessor; adeo ut nos nisi de ejus voto negotia, quae controversiam pati possunt, expediuntur.

CAPUT III.

De Congregatione S. Officii sive Inquisitionis, atque una de origine Inquisitionis.

- 1 *Episcopi vi Officii sui jubentur invigilare in haereses.*
- 2 *Per 12. saecula nulli fuerunt Fidei Inquisitores praeter Episcopos.*
- 3 *Innocentius III. saeculo 13. primum aliquos Monachos Fidei Inquisitores constituit.*
- 4 *Episcopi eos averfabantur; sed Pontifex eos sustinebat.*

5 *Multas difficultates tum ab Episcopis, tum à Magistris illi Monachi patiebantur; contra quas illos animat Pontifex; eisque auctoritatem magnam impartitur.*

6 *Prædictis Monachis una cum Episcopo Oxoniensi jungitur S. Dominicus.*

7 *Dominicus socios aliquos sibi in adiutorium assumit; & Ordinis sui fundamenta Tolosa jecit.*

8 *Dominicus ejusque socii tamquam Fidei Inquisitores in haereticos insurgunt.*

9 *Primum in Consilio Tolosano sub Gregorio IX. specialis modus contra haereticos procedendi praescriptus fuit, sed totam auctoritatem procedendi contra haereticos Episcopis committitur.*

10 *Postmodum Gregorius IX. Officium Inquisitionis Fratribus Dominicis commisit.*

11 *Hinc nimio suo rigore populum contra se excitavit.*

12 *Ipsis adjunxit Fratres Minores qui ipsorum rigorem temperarent.*

13 *Fredericus Imperator leges in favorem Inquisitionis evulgavit.*

14 *Has Innocentius IV. confirmavit.*

15 *Officium Inquisitionis commisit Dominicis & Minoribus una cum Ordinarius locorum.*

16 *Plures posthac Inquisitiones per Italiam erectae sunt nulla tamen haecenus in Urbe Romana.*

17 *Primum anno 1542. Paulus III. Congregationem Inquisitionis instituit.*

18 *Eandem confirmavit Pius IV. declarans, acta per majorem partem Cardinalium habenda esse pro actis Congregationis.*

19 *Pius V. declaravit gesta per majorem partem Cardinalium praesentium esse reputanda ac si ab omnibus essent acta, licet etiam duo dumtaxat fuissent praesentes.*

20 *Auctoritatem Cardinalium hujus Congregationis latius exposuit Sixtus V.*

21 *Praeter Cardinales plures Officiales ad hanc congregationem spectant.*

22 *Qui sint Consultores?*

23 *Consultores cum aliis Officialibus conveniunt feriâ secundâ.*

24 *Quae in hac Congregatione expediuntur?*

25 *Congregatio Cardinalium S. Officii habetur feriâ 4. cujus forma describitur.*

26 *Acta in hac Congregatione per Assessorem S. Officii Pontifici referuntur.*

27 *Qui sint Qualificatores? (navit.)*

28 *Formula Decretorum quae ab hac congregatione emanant.*

29 *Feria 5. habetur congregatio eorumdem Cardinalium coram Pontifice, quae proprie est Congregatio S. Officii sive Inquisitionis.*

30 *Quid in hac Congregatione tractetur; & quâ formâ habeatur. (Pontificis.)*

31 *Decreta hujus Congregationis eduntur sub nomine Pontificis.*

32 *Haec Decreta tamen sunt reverà Decreta congregationis.*

33 *Decreta Congregationis quibus potissimè adscribenda.*

34 *De quibus potissimè haec Congregatio cognoscat?*

35 *Licentia legendi libros prohibitos ab hac Congregatione postulanda.*

36 *An Inquisitionis auctoritas hic in Belgio obtineat?*

I. **I**n Episcopos vi sui muneris Episcopalis obligari, ut populum sibi commissum à periculo aut infectione haerese praeservent, atque Ecclesiam sibi commissam ab omni fermento haereticae pravitatis immaculatam custodiant, indubitatum est; ideoque & Episcopos esse naturales Inquisitores Fidei, sive ipsi jure quodammodo naturali, ex Episcopali & Pastoralis cura proficiente, competere jus inquirendi in haereticos, aut de haeresi suspectos.

II. Quapropter per duodecim circiter saecula, nullos Ecclesiae Fidei Inquisitores praeter Episcopos & Pastores

noverat, neque ullum praeter Episcopale notum erat Inquisitionis tribunal, aut speciale officium; sed pari curâ eademque auctoritate Episcopi invigilabant & procedebant contra haerese, sicuti contra alia, non minus subinde perniciosa, vitia; nec non contra haereticos, atque alios homines sceleratos.

III. Primum sub initium saeculi 13. Innocentius III. contra haerese Albigensium in Provinciam Tolosanam eique adjacentes misit Arnaldum Abbatem Cisterciensem, Petrum De Castro-novo & Radulphum Monachos Cistercienses, idque plenâ auctoritate procedendi contra haereticos, ut patet ex litteris ad ipsos datis 29. Maji anno 1204. in quibus plenam ac omnimodam potestatem eis concessam explicat his verbis. „Ut autem injuncta vobis non tam nostrâ quam divinâ legationis Imperio, officium possitis, melius & liberius exercere, plenam vobis in Aquenti, Arelatensi, & Narbonensi Provinciis, & Vicinis etiam Diocesisibus, si quae sunt haereticorum labe polluta, concedimus facultatem destruendi, disperdendi, & evellendi quae destruenda, disperdenda & evellenda noveritis; & aedificandi & plantandi, quae aedificanda fuerint & plantanda; illos qui contra prohibitionem vestram venire praesumpserint, canonicè puniendi: si quis verò pro violentâ manuum impolitione in latâ sententiae Canonem incidit, auctoritate nostrâ suffulti, ei absolutionis beneficium impendatis, injungentes eidem, ut contra haereticos accingatur.

IV. Episcopos autem avertantibus legatos in causa fidei, Petrus De Castro-novo litteris ad Innoc. III. scriptis, missionem petiit, cui Pontifex rescribens, eum ad fortiter ac viriliter progrediendum animat, ac tandem ita concludit. „Devotionem tuam monemus & exhortamur in Domino per haec scripta Apostolica mandantes, quatenus, opportune, importune instans, arguens & obsecrans in operando in omni patientia, & doctrina, opus Evangelicæ, ac ministerium tibi commissum studeas adimplere: firmiter sperans in Domino Jesu Christo, quod ipse, qui affectum tibi praestitit laborandi, ne tuus labor inutilis habeatur, effectum tribuet & affectum.

V. Haec aliaque, de quibus intelligitur, quas difficultates & oppositiones Legati illi, cum ab Episcopis, tum saecularibus Magistratibus passi sint: videri possunt apud Bollandum in actis Sanctorum ad diem 5. Martii in commentario historico de vita & gestis B. Petri De Castro-novo; ubi quoque fit mentio litterarum Innocentii III. ad Archiepiscopum Narbonensem quibus ipsa reprehendit ob auxilium dictis Legatis negatum. Item litterarum ejusdem Pontificis ad Episcopum Agathensem & Abbatem S. Pontii, in quibus inter alia scribit Pontifex, quod Biterrensis Episcopus requisitus à dictis Petro De Castro-novo & Radulpho, cum iis ire noluerit ad conveniendum super hoc negotio auctoritate Apostolica Comitum Tolosanum, nimirum Raymundum, qui impensè Albigensibus haereticis favebat: deinde, quod idem Episcopus rogatus ab ipsis Legatis, ut Consules civitatis Biterrensis ad abjurandam haerese, atque contra haereticos Ecclesiam defendendam commoveret, non solum non obediit, sed etiam id fieri penitus impedierit; cumque dicti Legati auctoritate Apostolica convocato Clero injunxissent Episcopo, ut nisi infra praefixum diem Consules haerese abjurarent, ipsos non differret excommunicationis vinculo innodare, nihil tamen praestitisset; atque ideo Petrus & Radulphus ipsum ab administratione, nec non & Episcopali officio suspenderint, donec se Pontificis conspectui praesentaret; Clero Biterrensi, ne interim ei obediunt in aliquo, in virtute obedientiae, & sub excommunicationis poena districtius inhibentes.

Verum tamen ista haec sat ostendunt, quanta esset Monachorum illorum tamquam Sedis Apostolicae Legatorum auctoritas; nihilque ab Innocentio III. praetermissum fuerit, quo minus suis hinc Legatis in hoc negotio sua auctoritate assisteret, nihilominus parum aut nihil praedicando con-

tra haereticos proficiebant; adeo ut praetadio injuncta sibi legationi renuntiare intenderent; eo quod jam biennio praedicationi insistentes, nihil aut parum se proficisse viderent, uti testatur Petrus Monachus canobii Vallum Gernay in historia Albigensium cap. 3.

VI. At cum de his Petrus De Castro-novo & Radulphus deliberarent, contigit, quod Didacus Episcopus Oxoniensis una cum S. Dominico tunc ejusdem Ecclesiae Canonico ad Curiam Romanam venerint. Hos idem Pontifex an. 1206. in Provinciam Tolosanam pari auctoritate contra haereticos misit, qui apud Montem Pessulanum dictis Monachis se junxerunt, animosque fortiter ac viriliter in hoc praedicationis munere persequendi in ipsis addiderunt.

VII. Porro transacto biennio, cum Episcopus ad Ecclesiam suam coactus fuisset reverti, Dominicus, ut salcius & efficacius operi huic incumbere posset, aliquot sibi Presbyteros saeculares socios & coadjutores adscivit, quibus tandem circa annum 1215. ab Episcopo Tolosano concessa fuit Ecclesia S. Romani in civitate Tolosana cum omnibus provenibus & juribus, ad quam Dominicus cum sociis illis Presbyteris migravit, primaque sui Ordinis fundamenta jecit; quem anno sequenti Honorius III. confirmavit.

VIII. Hi itaque Fidei Inquisitores quaquaersum per provincias discurrerent, tum praedicatione, tum exhortatione haereticis se opponerent; quin & subinde ipsos Magistratus & principes contra haereticos incitabant; imo & populum concitabant, ut sub nomine Crucis Signatorum in haereticos armarentur, indulgentias promittentes iis, qui arma contra haereticos sumerent.

IX. Nihil tamen haecenus speciale constitutum erat circa modum contra haereticos procedendi, nullumque certum Tribunal Inquisitionis erectum.

Gregorius IX. summo contra haerese zelo animatus, Romanum Sancti Angeli Diaconum Cardinalem legatum suum ad Provincias illas Albigensium haerese infectas misit, qui anno 1229. celeberrimum Concilium celebravit Tolosae, in quo de consilio Archiepiscoporum, Episcoporum, Praelatorum & Baronum, & Militum edidit 16. decreta, quibus modus inquirendi ac puniendi haereticos praescribitur, quae legi possunt tomo XI. Conciliorum generalium Col. 427. Hoc unum notandum, quod Concilium illud totam auctoritatem inquirendi & puniendi Episcopos, tamquam naturalibus Fidei Inquisitoribus, attribuat.

X. Verum idem Gregorius IX. vehementi in haereticos zelo succensus, existimans Episcopos flaccidius forsitan, quam oportet, in haereticos armati, anno 1231. hoc Inquisitionis officium solis Fratribus Dominicis, qui ad id officii obeundum praecipue erant instituti, commisit per litteras ad Priorem Fratrum Ordinis Praedicatorum in Lombardia; quae existant tomo XI. Concil. generalium col. 335.

XI. Hi ergo quasi defectum aut negligentiam Episcoporum suo zelo supplere volentes, tanto rigore processerunt contra illos quos haerese infectos, aut de ea suspectos, aut haereticorum fautores existimabant, ut Comes & populus Tolosanus à civitate sua omnes illos Fidei Inquisitores, nec non totum Dominicanorum Ordinem una cum Episcopo Tolosano, qui erat ejusdem Ordinis atque illis enixe favebat, expulerint.

XII. Ipsos quidem postmodum auctoritate Apostolica restituit Joannes Viennensis Archiepiscopus; & Inquisitionem exerceri jussit, adjuncto tamen Collega ex Ordine Fratrum Minorum, qui Praedicatorum rigorem sua mansuetudine temperaret, inquit Guillelmus De Podio-laurentii in chronico cap. 8. De quo vide etiam Spondanum ad annum 1234. n. 3.

XIII. Adhuc Fredericus II. Imperator circa annum 1244. constitutiones acerbissimas contra haereticos eorumque fautores evulgavit; ipsosque Fidei Inquisitores sub sua ac Magistratum protectione esse voluit; ac insu-

per,